Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Lib

mala. cum ipsa faciat opus mali. Ac per hoc mala uoluntas causa efficiens
est operis mali. male uoluntatis autem efficiens nichil est. quoniam si res aliqua est. aut habet
aut non habet uoluntatem. Si autem habet, aut profecto bonam habet. aut malam. Si bonam.
quis ita desipiat ut dicat quod bona uoluntas faciat uoluntatem malam.
Erit enim si ita est bona uoluntas causa peccati. quo absurdius nichil putari
potest. Si autem res ista est que putatur facere uoluntatem malam. ipsa quoque habet
uoluntatem malam. etiam eam que fecerit res consequenter interrogo. atque ut sit ali
quis inquirendi modus causam primae malae uoluntatis inquiro. Non est enim
prima uoluntas mala quam fecit uoluntas mala. sed illa prima est quam nulla est. ante
Nam si precessit a qua fieret. illa prior est que alteram fecit. Si respondetur quod eam nulla
res fecerit. et ideo semper fuerit. quero utrum maliqua natura fuerit. Si enim in nul
la fuit. omnino non fuit. Si autem in aliqua. uitiabat eam et corrumpebat erat que
illi noxia. ac per hoc bono priuabat. Et ideo in mala natura uoluntas mala
non esse poterat sed in bona. mutabili tamen. quia uitium hoc posse nocere. Si enim
non nocuit. non utique uitium fuit. ac per hoc nec mala uoluntas fuisse dicenda est.
Porro si nocuit bonum auferendo uel minuendo. utique nocuit. Non igitur potuit esse
sempiterna uoluntas mala. in ea re in qua bonum naturale precesserat. quod mala
uoluntas nocendo posse adimere. Si igitur non erat non sempiterna. quis eam fece
rit quero? Restat ut dicatur quod ea res fecerit malam uoluntatem. in qua nulla uo
luntas fuit. Nec utrum superior sit requiro. an inferior. an equalis. Sed si superior.
utique melior. quomodo igitur nullius ac non potius bonae uoluntatis. Hoc idem profecto et
equalis. Duo quippe quamdiu sunt pariter bonae uoluntatis. non facit alter in alterum uo
luntatem malam. Relinquitur igitur ut inferior res cui nulla uoluntas est fecerit. in an
gelica natura que prima peccauit uoluntatem malam. Sed etiam res ipsa que cumque
est inferior. usque ad infimam terram quam naturae essentiae est procul dubio bona est.
habens modum et speciem in genere atque ordine suo. Quomodo igitur res bona efficiens causa
est uoluntatis malae. Quomodo in quam bonum est causa malae. cum enim se uoluntas
relicto superiore ad inferiora se conuertit. efficitur mala. non quia mala est quod se conuer
tit. sed quia peruersa est ipsa conuersio. Id circo non res inferior uoluntatem malam facit.
sed rem inferiorem praue atque inordinate ipsa quia facta est appetunt. Si enim aliqui
duo equaliter affecti animo et corpore uideant unius corporis pulchritudinem.
qua uisa unus eorum ad illicitae fruendum moueatur. alter in uoluntate pudica stabilis
perseueret. quid putamus esse causae ut in illo fiat aut in illo non fiat uoluntas mala. Quae
illa res fecit in quo facta est. Neque enim pulchritudo illa corporis. Nam eam non fecit
in ambobus. quando quidem ambos non dispariliter occurrit aspectibus. An caro in
tuentis in causa est. Cur non et illius. an uero animus. Cur non utriusque. Ambos enim et animo
et corpore equaliter affectos fuisse prediximus. An dicendum est alterum eorum occulta
maligni spiritus suggestione temptatum. Quasi non eisdem suggestioni qualicumque suasio